

AB
50B/M

k, 10

008 ll
M-s. 843

1426

C. CORNELII TACITI
DE
SITV MORIBVS
ET POPVLIS
GERMANIAE
LIBELLVS

Ex recensione

IOH. AVGVSTI ERNESTI

IN VSVM PRAELECTIONVM
PRIVATARVM ITERATA

A

IOH. BENED. CARPZOV

Gelesen in Secunda huius M. A. A. h. 1891

HELMSTADII
EX OFFICINA SCHNORRIANA

MDCCLXXXIII

M. A. A. h.

THE COMMUNION TABLES
OF THE
CITY OF MORISTON
ET ALII
GERMANIAE

JOHN BENTON BISHOP

IN THE
CITY OF MORISTON

JOHN BENTON BISHOP

PRINTED
BY THE
PRINTERS

L57,



Zinn Antiquar
an
meinen brüder Freund.

C. A. J.

possessor hujus
libri est ~~_____~~
G. Maass: 1790.




C. CORNELII TACITI
DE
SITV MORIBVS ET POPVLIS
GERMANIAE
LIBELLVS

SECTIO I
*Mores Germanorum in
commune*

I
Situs Germaniae.

GERMANIA omnis a Galliis, Raetiisque, et Pannoniis, Rheno et Danubio fluminibus; a Sarmatis Dacisque, mutuo metu, aut montibus, separatur. Cetera Oceanus ambit, latos sinus, et insularum immensa spatia complectens, nuper cognitis quibusdam gentibus, ac regibus, quos bellum aperuit. Rhenus, Rhaeticarum Alpium



inaccesso ac praecipiti vertice ortus, modico flexu in Occidentem versus, septentrionali Oceano miscetur. ⁴ Danubius, molli et clementer edito montis *Abnobaë* iugo effusus, plures populos adit, donec in Ponticum mare sex meatibus erumpit. septimum enim os paludibus hauritur.

II

Incolae. Nominis origo.

Ipsos Germanos indigenas crediderim, minimeque aliarum gentium aduentibus et hospitiis mixtos: quia nec terra olim, sed classibus aduehebantur, qui mutare sedes quaerebant: et immensus ultra, utque sic dixerim, aduersus Oceanus raris ab orbe nostro nauibus aditur. ^{b)} Quis porro, praeter periculum horridi et ignoti maris, Asia, aut Africa, aut Italia relicta, Germaniam peteret, informem terris, asperam caelo, tristem cultu aspectuque, nisi si patria sit?

❧

lit? ³ Celebrant carminibus antiquis, (quod vnum apud illos memoriae et annalium genus est,) *Tuisconem* Deum, terra editum, et filium *Mannum*, originem gentis conditoresque. ⁴ Manno tris filios assignant, e quorum nominibus proximi Oceano *Ingaeuones*, medii *Hermiones*, ceteri *Istaeuones* vocentur. ⁵ Quidam autem, licentia vetustatis, plures Deo ortos, pluresque gentis appellaciones, *Marsos*, *Gambriuios*, *Sueuos*, *Vandalios* affirmant: eaque vera et antiqua nomina. ⁶ Ceterum *Germaniae* vocabulum recens et nuper additum: quoniam, qui primi *Rhenum* transgressi *Gallos* expulerint, ac nunc *Tungri*, tunc *Germani* vocati sint. ita nationis nomen, non gentis, eualuisse paulatim, vt omnes, primum a victore, ob metum, mox a se ipsis inuento nomine, *Germani* vocarentur. ⁷ Fuisse apud eos et *Herculem* memorant, primumque omnium virorum fortium iturri in proelia canunt.



III

*Carmina: barditas: variaque
antiquitates.*

Sunt illis haec quoque carmina, quorum relatu, quem *barditum* vocant, accendunt animos, futuraeque pugnae fortunam ipso cantu augurantur. terrent enim, trepidantque, prout sonuit ecies. Nec tam voces illae, quam virtutis concentus videntur: ² affectatur praecipue asperitas soni, et fractum murmur, obiectis ad os scutis, quo plenior et grauior vox repercussu intumescat. ³ Ceterum et Vlixem, quidam opinantur, longo illo et fabuloso errore in hunc Oceanum delatum, adisse Germaniae terras, Asciburgiumque, quod in ripa Rheni situm, hodieque incolitur, ab illo constitutum, nominatumque. ⁴ Aram quin etiam Vlixii consecratam, adiecto Laërtiae patris nomine, eodem loco olim repertam: monumentaque, et tumulos quosdam, Graecis

cis literis inscriptos, in confinio Germaniae Rhaetiaeque adhuc extare. Quae neque confirmare argumentis, neque refellere in animo est: ex ingenio suo quisque demat vel addat fidem.

III

Corporum habitus.

Ipse eorum opinionibus accedo, qui Germaniae populos nullis aliis aliarum nationum connubiis infectos, propriam, et sinceram, et tantum sui similem gentem extitisse arbitrantur. Unde habitus quoque corporum, quanquam in tanto hominum numero, idem omnibus: truces et coerulei oculi, rutilae comae, magna corpora, et tantum ad impetum valida. laboris atque operum non eadem patientia: minimeque sitim aestumque tolerare, frigora atque inediae caelo soloque adsueverunt.


Terra, etsi aliquanto specie differt, in vniuersum tamen aut siluis horrida, aut paludibus foeda: humidior, qua Gallias, ventosior, qua Noricum ac Pannoniam aspicit: ³ satis ferax: frugiferarum arborum impatiens, pecorum foecunda, sed plerumque improcera. ³ Ne armentis quidem suis honor, aut gloria frontis: numero gaudent: eaeque solae et gratissimae opes sunt. ⁴ Argentum et aurum, propitii, an irati Dii negauerint? dubito. Nec tamen affirmauerim, nullam Germaniae venam argentum aurumue gignere. quis enim scrutatus est? possessione et vsu haut perinde afficiuntur. ⁵ Est videre apud illos argentea vasa, legatis et principibus eorum muneri data, non in alia vilitate, ⁶ quam quae humo finguntur: quanquam proximi, ob vsum commerciorum, aurum et argentum in pretio ha-

habent, formasque quasdam nostrae pecuniae agnoscunt, atque eligunt: interiores simplicius et antiquius permutatione mercium vtuntur. ⁷ Pecuniam probant veterem, et diu notam, Seratos, Bigatosque. Argentum quoque magis, quam aurum sequuntur, nulla affectione animi, sed quia numerus argenteorum facilius vsui est promiscua ac vilia mercantibus.

VI

Germanorum arma.

Ne ferrum quidem superest, sicut ex genere telorum colligitur. ² Rari gladiis, aut maioribus lanceis vtuntur: hastas, vel ipsorum vocabulo *frameas*, gerunt, angusto et breui ferro, sed ita acri, et ad vsum habili, vt eodem telo, prout ratio poscit, vel cominus vel eminus pugnent. ³ et eques quidem scuto frameaque contentus est: pedites et missilia spargunt, plura singuli,



atque in immensum vibrant: nudi aut sagulo leues. * nulla cultus iactatio: scuta tantum lectissimis coloribus distinguunt: paucis loricae: vix vni alteriue cassis, aut galea. † Equi non forma, non velocitate conspicui. sed nec variare gyros, in morem nostrum, docentur. In rectum, aut vno flexu dextros agunt, ita coniuncto orbe, vt nemo posterior sit. ‡ In vniuersum aestimanti, plus penes peditem roboris: eoque mixti proeliantur, apra et congruente ad equestrem pugnam velocitate peditum, quos ex omni iuuentute delectos ante aciem locant. § Definitur et numerus: centeni ex singulis pagis: idque ipsum inter suos vocantur: et quod primo numerus fuit, iam nomen et honor est. ¶ Acies per cuneos componitur. Cedere loco, dummodo rursus instes, consilii quam formidinis arbitrantur. Corpora suorum etiam in dubiis proeliis referunt. † Scutum reliquit.




liquisse, praecipuum flagitium. nec aut
sacris adesse, aut concilium inire, igno-
minioso fas. multique superstites bello-
rum, infamiam laqueo finierunt.

VII

Reges, Duces, Sacerdotes.

Reges ex nobilitate; Duces ex virtute
sumunt. Nec Regibus infinita, aut li-
bera potestas; et Duces exemplo poti-
us quam imperio: si prompti, si conspi-
cui, si ante aciem agant, admiratione
praesunt. ² Ceterum, neque anim-
advertere, neque vincere, neque verbe-
rare quidem, nisi Sacerdotibus permis-
sum: non quasi in poenam, nec Ducis
iussu, sed velut Deo imperante, quem
adesse bellantibus credunt: effigiesque,
et signa quaedam, detracta lucis, in
proelium ferunt. ³ Quodque praeci-
puum fortitudinis incitamentum est,
non casus, nec fortuita conglobatio tur-
mam aut cuneum facit, sed familiae et
pro-



propinquitates. et in proximo pignora, vnde feminarum vlulatus audiri, vnde vagitus infantium. Hi cuique sanctissimi testes, hi maximi laudatores. ⁴Ad matres, ad coniuges vulnera ferunt: nec illae numerare, aut exigere plagas pauent. cibosque et hortamina pugnantibus gestant.

VIII

Feminarum constantia et veneratio.

Memoriae proditur, quasdam acies, inclinatas iam et labantes, a feminis restitutas, constantia precum, et obiectu pectorum, et monstrata cominus captiuitate, quam longe impatientius feminarum suarum nomine timent: ² adeo, vt efficacius obligentur animi ciuitatum, quibus inter obsides puellae quoque nobiles imperantur. ³ Inesse quin etiam sanctum aliquid, et prouidum putant: nec aut consilia earum aspernantur, aut responsa negligunt.


Vi-

⁴ Vidimus, sub diuo Vespasiano, *Veledam*, diu apud plerosque Numinis loco habitam. ⁵ Sed et olim *Auriniam*, et complures alias venerati sunt, non adulatione, nec tanquam facerent Deas.

VIII

Dii: Mercurius, Hercules, Mars, Isis.
Simulacra nulla.

Deorum maxime *Mercurium* colunt, cui certis diebus, humanis quoque hostiis litare fas habent. *Herculem* ac *Martem* concessis animalibus placant: pars Sueuorum et *Isidi* sacrificat. ² Unde caussa et origo peregrino sacro, parum comperi, nisi quod signum ipsum, in modum liburnae figuratum, docet aduectam religionem. ³ Ceterum, nec cohibere parietibus Deos, neque, in ullam humani oris speciem assimulare, ex magnitudine caelestium arbitrantur. ⁴ lucos ac nemora consecrant, Deorumque nominibus appellant secretum illud, quod sola reuerentia vident.



X

*Auspicia, Sortes: Ex equis, e captiuis
praesagia.*

Auspicia, sortesque, vt qui maxime, obseruant. Sortium consuetudo simplex. virgam, frugiferae arbori decisam, in furculos amputant, eosque notis quibusdam discretos, super candidam vestem temere ac fortuito spargunt: ² mox, si publice consulatur, sacerdos ciuitatis; sin priuatim, ipse paterfamiliae, precatus Deos, caelumque suspiciens, ter singulos tollit, sublatos, secundum impressam ante notam, interpretatur. ³ Si prohibuerunt, nulla, de eadem re, in eundem diem consultatio: ⁴ sin permissum, auspicioꝝ adhuc fides exigitur. Et illud quidem etiam hic notum, auium voces volatusque interrogare: ⁵ proprium gentis, equorum quoque praesagia ac monitus experiri. publice aluntur iisdem nemonibus ac lucis, candidi, et nullo mortali ope-


opere contacti: quos pressos sacro curru sacerdos, ac rex, vel princeps ciuitatis, comitantur, hinnitusque ac fremitus obseruant. ⁶ Nec vlli auspicio maior fides, non solum apud plebem, sed apud proceres, apud sacerdotes. Se enim ministros Deorum, illos conscios putant. ⁷ Est et alia obseruatio auspicioꝝ, qua grauium bellorum euentus explorant. Eius gentis, cum qua bellum est, captiuum, quoquo modo interceptum, cum electo popularium suorum, patriis quemque armis, committunt: victoria huius, vel illius, pro praeiudicio accipitur.

XI

Consultationes publicae, et conuentus.

De minoribus rebus principes consultant; de maioribus omnes: ita tamen, vt ea quoque, quorum penes plebem arbitrium est, apud principes pertrahantur. ¹ Coeunt, nisi quid fortui-

tu m



tum et subitum inciderit, certis diebus, quum aut inchoatur luna, aut impletur. nam agendis rebus hoc auspiciatissimum initium credunt. ³ Nec dierum numerum, ut nos, sed noctium computant. Sic constituunt, sic condicunt. nox ducere diem videtur. ⁴ Illud ex libertate vitium, quod non simul, nec ut iussi conveniunt, sed et alter et tertius dies cunctatione coeuntium absimitur. ⁵ Ut turba placuit, confidunt armati. Silentium per sacerdotes, quibus tum et coercendi ius est, imperatur. ⁶ Mox rex, vel princeps, prout aetas cuique, prout nobilitas, prout decus bellorum, prout facundia est, audiuntur, auctoritate suadendi magis, quam iubendi potestate. ⁷ Si displicuit sententia, fremitu aspernantur: sin placuit, frameas concutiunt. Honoratissimum assensus genus est, armis laudare.

XII

Poenae. Iur.

Licet apud concilium accusare quoque, et discrimen capitis intendere. ² Distinctio poenarum ex delicto. proditores et transfugas arboribus suspendunt: ignavos, et imbelles, et corpore infames, coeno ac palude, iniecta insuper crate, mergunt. ³ Diversitas supplicii illuc respicit, tanquam scelera ostendi oporteat dum puniuntur, flagitia abscondi. ⁴ Sed et leuioribus delictis, pro modo, poena. Equorum pecorumque numero conuicti multantur: pars multae regi, vel ciuitati; pars ipsi qui vindicatur, vel propinquis eius, exsoluitur. ⁵ Eliguntur in iisdem conciliis et principes, qui iura per pagos vicosque reddunt. Centeni singulis ex plebe comites, consilium simul et auctoritas, adsunt.

XIII

*Scutum, framea iuuenibus data. Principum
comites: eorum virtus et fama.*

Nihil autem neque publicae neque
priuatae rei, nisi armati agunt. Sed ar-
ma sumere non ante cuiquam moris,
quam ciuitas suffecturum probauerit.
³ Tum in ipso concilio, vel principum
aliquis, vel pater, vel propinquus, scu-
to frameaque iuuenem ornant. haec
apud illos toga, hic primus iuuentae
honus: ante hoc domus pars videntur,
mox reipublicae. ⁴ Insignis nobilitas,
aut magna patrum merita, principis
dignationem etiam adolescentulis assi-
gnant: ceteri robustioribus ac iam pri-
dem probatis aggregantur: nec rubor,
inter comites aspici. ⁵ Gradus quin
etiam et ipse comitatus habet, iudicio
eius, quem sectantur: magnaue et co-
mitum aemulatio, quibus primus apud
principem suum locus; et principum,
cui plurimi et acerrimi comites. ⁶ Haec digni-

dignitas, haec vires, magno semper electorum iuuenum globo circumdari, in pace decus, in bello praesidium. Nec solum in sua gente cuique, sed apud finitimas quoque ciuitates id nomen, ea gloria est, si numero ac virtute comitatus emineat. ⁷ expetuntur enim legationibus, et muneribus ornantur, et ipsa plerumque fama bella profligant.


XIII

Bellica gentis studia.

Quum ventum in aciem, turpe principi, virtute vinci; turpe comitatus, virtutem principis non adaequare. ² Iam vero infame in omnem vitam ac probrosum, superstitem principi suo ex acie recessisse. ³ Illum defendere, tueri, sua quoque fortia facta gloriae eius assignare, praecipuum sacramentum est. Principes pro victoria pugnant: comites pro principe. ⁴ Si ciuitas, in qua orti sunt, longa pace et otio torpeat,

B 2

ple-



plerique nobilium adolescentium pe-
tunt vltro eas nationes, quae tum bel-
lum aliquod gerunt; quia et ingrata
genti quies, et facilius inter ancipitia
clarefcunt, magnumque comitatum non
nifi vi belloque tueare. Exigunt enira
principis fui liberalitate illum bellato-
rem equum, illam cruentam victricem-
que frameam. Nam epulae, et quan-
quam incomti, largi tamen apparatus
pro stipendio cedunt. materia munifi-
centiae per bella et raptus. Nec arare
terram, aut expectare annum, tam fa-
cile perfuaseris, quam vocare hostes, et
vulnera mereri. pigrum quin immo
et iners videtur, sudore acquirere,
quod possis sanguine parare.

XV

*Pacis artes, venatio, otium. Collata
principibus munera.*

Quoties bella non ineunt, mul-
tum venatibus, plus per otium transi-
gunt.

gunt, dediti somno ciboque. ² Fortissimus quisque ac bellicosissimus nihil agens, delegata domus, et penatium, et agrorum cura feminis senibusque, et infirmissimo cuique ex familia, ipsi habent: mira diuersitate naturae, quam iidem homines sic ament inertiam, et oderint quietem. ³ Mos est ciuitatibus, vltro ac viritim conferre principibus, vel armentorum vel frugum: quod pro honore acceptum, etiam necessitatibus subuenit. ⁴ Gaudent praecipue finitimarum gentium donis, quae non modo a singulis, sed publice mittuntur: electi equi, magna arma, phalerae, torquesque. ⁵ Iam et pecuniam accipere docuimus.

XVI

*Vicorum domorumque forma. Specus, suffugium
biemi, et receptaculum frugibus.*

Nullas Germanorum populis vrbes habitari, satis notum est: ne pari quidem

B 3

in-

inter se iunctas sedes. Colunt discreti
 ac diuersi, vt fons, vt campus, vt ne-
 mus placuit. Vicos locant, non in no-
 strum morem, connexis et cohaerenti-
 bus aedificiis: suam quisque domum
 spatio circumdat, siue aduersus casus
 ignis remedium, siue inscitia aedifican-
 di. ³ Ne caementorum quidem apud
 illos aut regularum vsus: materia ad o-
 mnia vtuntur informi, et citra speciem
 aut delectationem. ⁴ Quaedam loca dili-
 gentius illinunt terra, ita pura ac splen-
 dente, vt picturam ac lineamenta colo-
 rum imitetur. ⁵ Solent et subterraneos
 specus aperire, eosque multo insuper fi-
 mo onerant, suffugium hiemi et recepta-
 culum frugibus: ⁶ quia rigorem frigo-
 rum eiusmodi locis molliunt: et si quan-
 do hostis aduenit, aperta populatur, ab-
 dita autem et defossa aut ignorantur, aut
 eo ipso fallunt, quod quaerenda sunt.

XVII

Hominum, feminarumque vestitus.

Te-

Tegumen omnibus sagum, fibula, aut si desit, spina confertum. cetera intecti, totos dies iuxta focum atque ignem agunt. ² Locupletissimi veste distinguuntur, non fluitante sicut Sarmatae ac Parthi, sed stricta, et singulos artus exprimente. ³ Gerunt et ferarum pelles, proximi ripae negligenter, vltiores exquisitius, vt quibus nullus per commercia cultus. ⁴ Eligunt feras, et detracta velamina spargunt maculis, pelli- busque belluarum, quas exterior Oceanus, atque ignotum mare gignit. ⁵ Nec alius feminis quam viris habitus, nisi quod feminae saepius lineis amictibus velantur, eosque purpura variant, partemque vestitus superioris in manicas non extendunt, nudae brachia ac lacertos. sed et proxima pars pectoris patet.

XVIII

Seuera matrimonia. Dor a marito data.

B 4

Quan-

Quamquam seuera illic matrimonia ;
 nec vllam morum partem magis lauda-
 ueris. nam prope soli barbarorum sin-
 gulis vxoribus contenti sunt, exceptis
 admodum paucis, qui non libidine, sed
 ob nobilitatem, plurimis nuptiis ambi-
 untur. ² Dotem non vxor marito, sed
 vxori maritus offert. ³ Intersunt pa-
 rentes et propinqui, ac munera pro-
 bant, munera non ad delicias muliebres
 quaesita, nec quibus noua nupta coma-
 tur; sed boues, et frenatum equum, et
 scutum, cum framea gladioque. ⁴ In
 haec munera vxor accipitur. atque in-
 uicem ipsa armorum aliquid viro af-
 fert. hoc maximum vinculum, haec ar-
 cana sacra, hos *coniugales Deos* arbi-
 trantur. ⁵ Ne se mulier extra virtutum
 cogitationes, extraque bellorum casus
 putet, ipsis incipientis matrimonii au-
 spiciis admonetur, venire se laborum
 periculorumque sociam, idem in pace,
 idem in proelio passuram ausuramque.
 hoc

6 hoc iuncti boues, hoc paratus equus,
hoc data arma denuntiant. Sic viuen-
dum, sic pereundum: accipere se, quae
liberis inuiolata ac digna reddat, quae
nurus accipiant, rursusque ad nepotes
referant.

XVIII

Adulterii poena maritis permissa.

Ergo septa pudicitia agunt, nullis spe-
ctaculorum illecebris, nullis conuiuio-
rum irritationibus corruptae. Litera-
rum secreta viri pariter ac feminae
ignorant. 2 Paucissima in tam numerosa
gente adulteria; quorum poena prae-
sens, et maritis permissa. Accisis cri-
nibus, nudatam, coram propinquis, ex-
pellit domo maritus, ac per omnem vi-
cum verbere agit: 3 publicatae etiam
pudicitiae nulla venia: non forma, non
aetate, non opibus maritum inuenerit.
Nemo enim illic vitia rider: nec cor-
rumpere et corrumpi saeculum voca-

B s

tur.

tur. ⁴ Melius quidem adhuc eae ciuitates, in quibus tantum virgines nubunt, et cum spe vtroque vxoris semel tranfigitur. ⁵ Sic vnum accipiunt maritum, quo modo vnum corpus, vnamque vitam; ne villa cogitatio ultra, nec longior cupiditas; ne tanquam maritum, sed tanquam matrimonium ament. ⁶ Numerum liberorum finire, aut quenquam ex agnatis necare, flagitium habetur. plusque ibi boni mores valent, quam alibi bonae leges.

XX

Liberorum educatio. Suscessionis leges.

In omni domo nudi ac fordidi, in hos artus, in haec corpora quae miramur, excrefcunt. ¹ Sua quemque mater vberibus alit, nec ancillis ac nutricibus delegantur. ² Dominum ac seruum nullis educationis deliciis dignoscas. Inter eadem pecora, in eadem humo degunt: donec aetas separet ingenuos,
vir-

virtus agnoscat. ⁴ Sera iuuenum Venus; eoque inexhausta pubertas. nec virgines festinantur; eadem iuuenta, similis proceritas. pares validaeque miscentur. ac robora parentum liberi referunt. ⁵ Sororum filiis idem apud auunculum, qui apud patrem honor. Quidam sanctiorem arctioremque hunc nexum sanguinis arbitrantur, et in accipiendis obsidibus magis exigunt, tanquam ii et animum firmitus et domum latius teneant. ⁶ Heredes tamen successoresque sui cuique liberi; et nullum testamentum. Si liberi non sunt, proximus gradus in possessione, fratres, patrui, auunculi. ⁷ Quanto plus propinquorum, quo maior affinium numerus, tanto gratiosior senectus, nec vlla orbitatis pretia.

XXI

*Patris, propinqui amicitiae inimicitiaeque
susceptae. Homicidiorum pretia.*

Hospitalitas.


Sufci-

Suscipere tam inimicitias seu patris
 seu propinqui, quam amicitias necesse
 est: nec implacabiles durant. Licitur
 enim etiam homicidium certo armen-
 torum ac pecorum numero, recipitque
 satisfactionem vniuersa domus: vtiliter
 in publicum; quia periculosiores sunt
 inimicitiae iuxta libertatem. ³ Conui-
 etibus et hospitibus non alia gens effusius
 indulget. Quemcunque mortalium ar-
 cere recto, nefas habetur: pro fortu-
 na quisque apparatus epulis excipit.
⁴ Quum defecere, qui modo hospes fu-
 erat, monstrator hospitii et comes, pro-
 ximam domum non inuitati adeunt.
 nec interest. pari humanitate accipiun-
 tur. Notum ignotumque, quantum ad
 ius hospitii, nemo discernit. ⁵ Abeun-
 ti, si quid poposcerit, concedere mo-
 ris: et poscendi inuicem eadem facilitas.
 Gaudent muneribus: sed nec data impu-
 tant: nec acceptis obligantur.

XXII

*Victus: ebrietas: rixae: in conuiuio
consultationes.*

Victus inter hospites comis. Statim e somno, quem plerumque in diem extrahunt, lauantur, saepius calida, ut apud quos plurimum hiems occupat. ² Lauti cibum capiunt: separatae singulis sedes, et sua cuique mensa. Tum ad negotia, nec minus saepe ad conuiuia procedunt armati. ³ Diem noctemque continuare potando, nulli probrum. Crebrae ut inter vinolentos rixae, raro conuiciis, saepius caede et vulneribus transiguntur. Sed et de reconciliandis inuicem inimicis, et iungendis affinitatibus, et asciscendis principibus, de pace denique ac bello plerumque in conuiuio consultant: tanquam nullo magis tempore aut ad simplices cogitationes pateat animus, aut ad magnas incalescat. ⁵ Gens non astuta nec callida, aperit adhuc secreta pectore.



Floris licentia ioci. Ergo detecta et nuda omnium mens postera die retrahatur: et salua vtriusque temporis ratio est. Deliberant, dum fingere nesciunt: constituunt, dum errare non possunt.

XXIII

Potus: cibi.

Potui humor ex hordeo aut frumento, in quandam similitudinem vini corruptus. Proximi ripae et vinum mercantur. ² Cibi simplices, agrestia poma, recens fera, aut lac concretum. Sine apparatu, sine blandimentis expellunt famem. ³ Aduersus sitim non eadem temperantia. Si indulseris ebrietati, suggerendo quantum concupiscunt, haut minus facile vitiis, quam armis vincuntur.

XXIII

Iuuentae ludicrum. Aleae furor.

Genus spectaculorum vnum atque in omni coetu idem. Nudi iuuenes, quibus

bus id ludicrum est, inter gladios se
atque infestas frameas saltu iaciunt.
Exercitatio artem parauit, ars decorem.
non in quaestum tamen aut mercedem.
quamuis audacis lasciuiae pretium est,
voluptas spectantium. ³ Aleam (quod
mirere,) sobrii inter seria exercent,
tanta lucrandi perdendive temeritate,
vt, quum omnia defecerunt, extremo
ac nouissimo iactu de libertate et de
corpore contendant. ⁴ Victus volun-
tariam seruitutem adit: qui a maior,
quamuis robustior, alligari se ac venire
patitur. ea est in re praua peruicacia:
ipsi fidem vocant. Seruos conditionis
huius per commercia tradunt, vt se quo-
que pudore victoriae exsoluant.

XXV

Serui. Libertini.

Ceteris seruis, non in nostrum morem
descriptis per familiam ministeriis, vtun-
tur. Suam quisque sedem, suos pena-
tes regit. Frumenti modum dominus,
aut

aut pecoris, aut vestis, vt colono in-
iungit: et seruus haecenus paret. Cete-
ra domus officia vxor ac liberi exse-
quuntur. ³ Verberare seruum, ac vin-
culis et opere coercere, rarum. Occi-
dere solent, non disciplina et seuerita-
te, sed impetu et ira, vt inimicum; ni-
si quod impune. ⁴ Libertini non mul-
tum supra seruos sunt, raro aliquod
momentum in domo, nunquam in ciui-
tate; exceptis duntaxat iis gentibus
quae regnantur. ibi enim et super in-
genuos et super nobiles ascendunt: a-
pud ceteros, impares libertini, libertatis
argumentum sunt.

XXVI

Agrorum cultus et partitio. Anni tempora.

Fenus agitare et in vsuras extendere,
ignotum: ideoque magis seruatur, quam
si vetitum esset. ² Agri pro numero
cultorum ab vniuersis per vices occu-
pantur, quos mox inter se secundum di-
gnationem partiuntur. facilitatem par-
tien-

tiendi, camporum spatia praestant. Arua per annos mutant, et superest ager; nec enim cum vbertate et amplitudine foli labore contendunt, vt pomaria conferant, et prata separent, et hortos rigent. sola terrae seges imperatur. ⁴ Vnde annum quoque ipsum non in totidem digerunt species: hiems, et ver, et aestas intellectum ac vocabula habent: autumniperinde nomen ac bona ignorantur.

XXVII

Funera.

Funerum nulla ambitio. id solum obseruatur, vt corpora clarorum viro- rum certis lignis crementur. ² Struem rogi nec vestibibus nec odoribus cumulant. sua cuique arma, quorundam igni et equus adiicitur. Sepulcrum cespes erigit. ³ Monumentorum arduum et operosum honorem, vt grauem defunctis, aspernantur. ⁴ Lamenta ac lacrimas cito, dolorem et tristitiam tarde ponunt. Feminis lugere honestum est; viris meminisse.

C

⁵ Haec



Haec in commune de omnium Germanorum origine ac moribus accepimus. Nunc singularum gentium instituta, ritusque, quatenus differant, quae nationes e Germania in Gallias commigrauerint, expediam.

SECTIO II

*Instituta gentium singularum
apud Germanos*

XXVIII

Galli, olim validi, in Germaniam transgressi.

Helvetii: Boii: Arauisci: Osi. Item Treueri:

Nerui: Germanicae originis populi.

Vangiones: Triboci: Nemetes:

Vbi.

Lib. IV. **V**alidiores olim Gallorum res fuisse, summus auctorum diuus Iulius tradit, eoque credibile est, etiam Gallos in Germaniam transgressos. ²Quantulum enim annis obstabat, quo minus, ut quae-

quaeque gens eualerat, occuparet permutaretque sedes promiscuas adhuc, et nulla regnorum potentia diuisas? ⁵ Igitur inter Hercyniam filuam, Rhenumque et Moenum amnes, *Heluetii*; vltiora *Boii*, Gallica) vtraque gens, renuere. Manet adhuc *Boieni* nomen, significatque loci veterem memoriam, quamuis mutatis cultoribus. Sed vtrum *Arauisci* in Pannoniam ab *Ofis*, Germanorum natione; an *Osi* ab *Arauiscis* in Germaniam commigrauerint, quum eodem adhuc sermone, institutis, moribus vtantur, incertum est: quia, pari olim inopia ac libertate, eadem vtriusque ripae bona malaque erant. ⁶ *Treueri* et *Neruii* circa affectationem Germanicae originis vltro ambitiosi sunt, tanquam per hanc gloriam sanguinis, a similitudine et inertia Gallorum separentur. ⁷ Ipsam Rheni ripam haut dubie Germanorum populi colunt, *Vangiones*, *Triboci*, *Nemetes*. Ne *Vbii* quidem,

dem, quanquam Romana colonia esse meruerint, ac libentius *Agrippinenses* conditoris sui nomine vocentur, origine erubescunt, transgressi olim, et experimento fidei super ipsam Rheni ripam collocari, ut arcerent, non ut custodirentur.

XXVIII

*Bataui, Cattorum proles. Mattiacorum
gens. Decumates agri.*

Omniū harum gentium virtute praecipui, *Bataui*, non multum ex ripa, sed insulam Rheni amnis colunt, *Cattorum* quondam populus, et seditione domestica in eas sedes transgressus, in quibus pars Romani imperii fierent. ² Manet honos, et antiquae societatis insigne. nam nec tributis contemnuntur, nec publicanus atterit: exempti oneribus et collationibus, et tantum in usum proeliorum sepositi, velut tela atque arma, bellis reseruantur. ³ Est in eodem
ob-

obsequio et *Mattiacorum gens*. Protulit enim magnitudo populi Romani ultra Rhenum, vltraque veteres terminos, imperii reuerentiam. ⁴ Ita sede finibusque in sua ripa, mente animoque nobiscum agunt, cetera similes Batauis, nisi quod ipso adhuc terrae suae solo et caelo acrius animantur. ⁵ Non numerauerim inter Germaniae populos, quanquam trans Rhenum Danubiumque confederint, eos, qui *Decimates agros* exercent. Leuissimus quisque Gallorum, et inopia audax, dubiae possessionis solum occupauere. Mox limite acto, promotisque praesidiis, sinus imperii, et pars prouinciae habentur.

XXX

Catti, militari disciplina praecipui.

Vltra hos, *Catti*, initium sedis ab Hercynio saltu inchoant, non ita effusis ac palustribus locis, vt ceterae ciuitates, in quas Germania patefcit. durant siqui-

C 3

dem

dem colles, paullatimque rarefcunt: et
 Cattos fuos *saltus Hercynius* profequi-
 tur fimul atque deponit. ² Duriora
 genti corpora, ftricti artus, minax vul-
 tus, et maior animi vigor. ³ Multum
 (vt inter Germanos,) rationis ac foler-
 tia: praeponere electos, audire prae-
 pofitos, noffe ordines, intelligere occa-
 fiones, differre impetus, difponere di-
 em, vallare noctem, fortunam inter du-
 bia, virtutem inter certa numerare:
 quodque rariffimum, nec nifi ratione
 difciplinæ concefsum, plus reponere in
 duce, quam in exercitu. ⁴ Omne ro-
 bur in pedite, quem fuper arma, ferra-
 mentis quoque et copiis onerant. Alios
 ad proelium ire videas, Cattos ad bel-
 lum. ⁵ rari excurfus, et fortuita pugna.
 Equeftrium fanè virium id proprium,
 cito parare victoriam, cito cedere. Ve-
 locitas iuxta formidinem, cunctatio pro-
 prior constantiae eft.

XXXI

Continuatio de Cattis.

Et aliis Germanorum populis vsurpatum, rara et priuata cuiusque audentia, apud Catos in consensum vertit. Ut primum adoleuerint, crinem barbamque summittere, nec, nisi hoste caeso, exuere votiuum obligatumque virtutis habitum. ² Super sanguinem et spolia reuelant frontem, seque tum demum pretia nascendi rerulisse, dignosque patria ac parentibus ferunt. Ignauis et imbellibus manet squalor. Fortissimus quisque ferreum insuper anulum (ignominiosum id genti) velut vinculum gestat, donec se caede hostis absoluat. Plurimis Catorum hic placet habitus. Iamque canent insignes, et hostibus simul suisque monstrati. omnium penes hos initia pugnarum. haec prima semper acies, visu noua. Nam ne in pace quidem vultu mihiore mansescunt. ⁵ Nulli domus, aut ager, aut



aliqua cura: prout ad quemque vene-
re, aluntur: prodigi alieni, contemptores
sui: donec exsanguis senectus tam du-
rae virtuti impares faciat.

XXXII

Vspii, Tencteri, equitatu praestantes.

Proximi Cattis certum iam alueo Rhe-
num, quique terminus esse sufficiat, *Vs-*
pui ac *Tencteri* colunt. ² *Tencteri* super
solitum bellorum decus, equestris disci-
plinae arte praecellunt. Nec maior a-
pud Catos peditum laus, quam *Ten-*
cteris equitum. ³ Sic instituere maio-
res; posterius imitantur. Hi lusus infan-
tium; haec iuuenum aemulatio, perse-
uerant senes. ⁴ Inter familiam, et pe-
nates, et iura successionum, equi tra-
duntur. Excipit filius, non ut ceteri,
maximus natu, sed prout ferox bello,
et melior.

XXXIII

Brueterorum sedes a Chamauis et Angriuariis occupatae.

Iuxta Tencteros *Brueteri* olim occurrerant. Nunc *Chamauos* et *Angriuarios* immigrasse narratur, pulsus *Brueteris* ac penitus excisis, vicinarum consensu nationum, seu superbiae odio, seu praedae dulcedine, seu fauore quodam erga nos *Deorum*.² Nam ne spectaculo quidem proelii inuidere. Super sexaginta millia non armis telisque Romanis, sed quod magnificentius est, oblectationi oculisque ceciderunt.³ Maneat, quaeso, duretque gentibus si non amor nostri, at certe odium sui: quando vrgentibus imperii fati, nihil iam praestare fortuna maius potest, quam hostium discordiam.

XXXIII

Dulgibini. Chasuari. Frissi maiores et minores.

Angriuarios et *Chamauos* a tergo *Dulgibini* et *Chasuari* cludent, aliaeque gen-

tes haut perinde memoratae. A fronte *Frisii* excipiunt. ² *Maioribus minoribusque Frisii* vocabulum est ex modo virium. Vtraeque nationes vsque ad Oceanum Rheno praetexuntur, ambiuntque immensos insuper lacus, et Romanis classibus nauigatos. ³ Ipsum quin etiam Oceanum illa tentauimus. et superesse adhuc Herculis columnas fama vulgavit: siue adiit Hercules, seu quicquid vbique magnificum est, in claritatem eius referre consensimus. ⁴ Nec defuit audentia Druso Germanico: sed obstitit Oceanus, in se simul atque in Herculem inquiri. Mox nemo tentauit: sanctiusque ac reuerentius visum, de actis Deorum credere, quam scire.

XXXV

Chauci, pacis studiosi.

Hactenus in Occidentem Germaniam nouimus. In Septentrionem ingenti flexu redit. Ac primo statim *Chauco-*

vum


rum gens, quanquam incipiat a Frisiis, ac partem litoris occupet, omnium quas exposui gentium lateribus obtenditur, donec in Cattos vsque sinuetur.

³ Tam immensum terrarum spatium non tenent tantum Chauci, sed et implent: ⁴ populus inter Germanos nobilissimus, quique magnitudinem suam malit iustitia tueri, sine cupiditate, sine impotentia, quieti secretique, nulla prouocant bella, nullis raptibus aut latrociniiis populantur. ⁵ Idque praecipuum virtutis ac virium argumentum est, quod, vt superiores agant, non per iniurias assequuntur. ⁶ Prompta tamen omnibus arma, ac si res poscat, exercitus: plurimum virorum equorumque: et quiescentibus eadem fama.

XXXVI

Cberusci, et Fosi, a Cattis victi.

In latere Chaucorum Cattorumque,
Cberusci nimiam ac marcentem diu pacem



cem illaccessiti nutrierunt. ² idque incun-
 dius quam tutius fuit, quia inter impo-
 tentes et validos falso quiescas: vbi ma-
 nu agitur, modestia ac probitas nomi-
 na superioris sunt. ³ Ita qui olim *boni*
aequique Cberusci, nunc *inertes ac stulti*
 vocantur. Catts victoribus fortuna in
 sapientiam cessit. ⁴ Tracti ruina Che-
 ruscorum et *Fosi*, contermina gens, ad-
 uersarum rerum ex aequo socii, quum in
 secundis minores fuissent.


XXXVII

Cimbrorum parua ciuitas, gloria
ingens.

Eundem Germaniae situm proximi
 Oceano Cimbri tenent, parua nunc ci-
 uitas, sed gloria ingens: ² veterisque
 famae late vestigia manent, vtraque ri-
 pa castra, ac spatia, quorum ambitu
 nunc quoque metiaris molem manus-
 que gentis, et tam magni exercitus fi-
 dem. ³ Sexcentimum et quadragesi-

MIUM

num annum vrbs nostra agebat, quum
primum Cimbrorum audita sunt arma,
Caecilio Metello ac Papirio Carbone
Consulibus. ⁴ Ex quo si ad alterum Im-
peratoris Traiani consulatum compute-
mus, ducenti ferme et decem anni col-
liguntur. Tamdiu Germania vincitur.
⁵ Medio tam longi acui spatio, mul-
ta inuicem damna. Non Samnis, non
Poeni, non Hispaniae Galliacae, ne Parthi
quidem saepius admonere. ⁶ quippe
regno Arsacis acrior est Germanorum
libertas. Quid enim aliud nobis quam
caedem Crassi, amisso et ipso Pacoro,
infra Ventidium deiectus Oriens obie-
cerit? ⁷ At Germani Carbone, et Cas-
sio, et Scauro Aurelio, et Seruilio Cae-
pione, Cneio quoque Manlio fufis vel
captis, quinque simul consulares ex-
ercitus populo Romano; Varum, tres-
que cum eo legiones etiam Caesari ab-
stulerunt. ⁸ Nec impune C. Marius in
Italia, diuus Iulius in Gallia, Drusus ac
Ne-



Nero et Germanicus in suis eos sedibus perculerunt. Mox ingentes C. Caesaris minae in ludibrium versae. Inde otium, donec occasione discordiae nostrae et ciuiliū armorum, expugnatīs legionum hibernis, etiam Gallias affectauerunt: ac rursus pulsī inde, proximis temporibus triumphati magis, quam victi sunt.

XXXVIII

Sueuorum mores.

Nunc de *Sueuis* dicendum est, quorum non vna vt Cattorum Tenēterorumue gens: maiorem enim Germaniae partem obtinent, propriis adhuc nationibus nominibusque discreti, quanquam in commune *Sueni* vōcentur. ² Insigne gentis obliquare crinem, nodoque substringere. Sic Sueui a ceteris Germanis, sic Sueuorum ingenui a feruis separantur. ³ In aliis gentibus, seu cognatione aliqua Sueuorum, seu (quod

sae.

saepe accidit,) imitatione, rarum, et in-
 tra iuuentae spatium; apud Sueuos vs-
 que ad caniciem, horrentem capillum
 retro sequuntur, ac saepe in solo ver-
 tice religant: principes et ornatores
 habent: * Ea cura formae, sed in-
 noxiae: neque enim vt ament amen-
 turae, in altitudinem quandam et ter-
 rorem, adituri bella, comiti, vt hostium
 oculis, ornantur.

XXXVIII

Semnonum religio.

Vetusissimos se nobilissimosque Sue-
 uorum *Semnones* memorant. Fides an-
 tiquitatis religione firmatur. Stato tem-
 pore in siluam, auguriis patrum et pri-
 sca formidine sacram, omnes eiusdem
 sanguinis populi legationibus coeunt,
 caesoque publice homine celebrant bar-
 bari ritus horrenda primordia. † Est
 et alia luco reuerentia. Nemo nisi vin-
 culo ligatus ingreditur, vt minor, et
 pote-



potestatem Numinis prae se ferens.
 4 Si forte prolapsus est, attolli et insurgere haut licitum: per humum euoluuntur: eoque omnis superstitio respicit, tanquam inde initia gentis; ibi regnator omnium Deus; cetera subiecta atque parentia. 5 Adiicit auctoritatem fortuna Semnonum: centum pagis habitant: magnoque corpore efficitur, ut se Sueuorum caput credant.

XXXX

*Langobardi. Reudigni. Auiones. Angli. Varini.
 Eudoses. Suardones. Nuthones. Hertbi seu
 Terrae matris commune sacrum.*

Contra *Langobardos* paucitas nobilitat: plurimis ac valentissimis nationibus cincti, non per obsequium, sed proeliis et periclitando tuti sunt. 2 *Reudigni* deinde et *Auiones*, et *Angli*, et *Varini*, et *Eudoses*, et *Suardones*, et *Nuthones* fluminibus aut siluis muniuntur. 3 nec quicquam notabile in singulis, nisi quod

quod in commune *Hertham*, id est *Ter-*
ram matrem, colunt, eamque interue-
nire rebus hominum, inuehi populis,
arbitrantur. ⁴ Est in insula Oceani ca-
stum nemus, dicatumque in eo vehicu-
lum, veste contectum. attingere vni sa-
cerdoti concessum. ⁵ Is adesse pene-
trali Deam intelligit, vectamque bubus
feminis multa cum veneratione profe-
quitur. ⁶ Laeri tunc dies, festa loca,
quaecunque aduentu hospitioque di-
gnatur. Non bella ineunt, non arma
sumunt, clausum omne ferrum: pax et
quies tunc tantum nota, tunc tantum a-
mata, donec idem sacerdos satiatam
conuersatione mortalium Deam templo
reddat. ⁷ mox vehiculum, et vestes, et,
si credere velis, Numen ipsum secreto
lacu abluitur. ⁸ Serui ministrant, quos
statim idem lacus haurit. Arcanus hinc
terror, sanctaque ignorantia quid sit il-
lud, quod tantum perituri vident.



XXXXI

Hermunduri.

Et haec quidem pars Sueuorum in fetretiora Germaniae porrigitur. Propior (vt quo modo paullo ante Rhenum, sic nunc Danubium sequar,) *Hermundurorum* ciuitas, fida Romanis, eo-que solis Germanorum non in ripa commercium, sed penitus, atque in splendidissima Rhaetiae prouinciae colonia. * Passim et sine custode transeunt; et quum ceteris gentibus arma modo castraque nostra ostendamus, his domos villasque patefecimus, non concupiscentibus. * In Hermunduris Albis oritur, flumen inclitum et notum olim, nunc tantum auditur.

XXXXII

Narifci. Marcomani. Quadi.

Iuxta Hermunduros *Narifci*, ac deinde *Marcomani* et *Quadi* agunt. Praecipua Marcomanorum gloria viresque, atque ipsa

ipsa etiam sedes, pulsus olim Boiis, virtute parta. Nec Narisici Quadiue degenerant. Eaque Germaniae velut frons est, quatenus Danubio pergitur. ³ Marcomanis, Quadisque, vsque ad nostram memoriam reges manserunt ex gente ipsorum, nobile Marobodui et Tudri genus: iam et externos patiuntur. ⁴ Sed vis et potentia regibus ex auctoritate Romana. raro armis nostris, saepius pecunia iuuantur.

XXXXIII

*Marfigni. Gothini. Osi. Burii. Lygiorum
ciuitates. Arii. Helucones. Manimi.*

Elysi. Nabaruali. Alcis numen.

Gotbones.

Nec minus valent retro *Marfigni, Gothini, Osi, Burii*: terga Marcomanorum Quadorumque claudunt: e quibus *Marfigni* et *Burii* sermone cultuque Sueuos referunt. ⁵ *Gothinos Gallica, O-*

sos Pannonica lingua coarguit non esse
 Germanos, et quod tributa patiuntur.
 partem tributorum Sarmatae, partem
 Quadi vt alienigenis imponunt. Go-
 thini, quo magis pudeat, et ferrum ef-
 fodiunt. ³ omnesque hi populi pauca
 campestrium, ceterum saltus et vertices
 montium iugumque infederunt. Diri-
 mit enim scinditque Sueuiam continu-
 um montium iugum, vltra quod pluxi-
 mae gentes agunt. ⁴ ex quibus latissi-
 me patet *Lygiorum* nomen, in plures
 ciuitates diffusum. Valentissimas no-
 minasse sufficiet, *Arios*, *Helueconas*,
Manimos, *Elystos*, *Nabarualos*. ⁵ Apud
Nabarualos antiquae religionis lucus
 ostenditur. Praesidet sacerdos mulie-
 bri ornatu. Sed Deos, interpretatio-
 ne Romana, Castorem Pollucemque
 memorant. Ea vis Numini: nomen
Alcis. nulla simulacra, nullum peregri-
 nae superstitionis vestigium. vt fratres
 tamen, vt iuuenes venerantur. ⁶ Ce-
 terum



terum Arii super vires, quibus enumeratos paullo ante populos antecedunt, truces, infrae feritati arte ac tempore lenocinantur. nigra scuta, tincta corpora, atras ad proelia noctes legunt: ipsaque formidine atque umbra feralis exercitus terrorem inferunt, nullo hostium sustinente nouum ac velut infernum aspectum. nam primi in omnibus proeliis oculi vincuntur. ⁷ Trans Lygios *Gothones* regnant, paullo iam adductius quam ceterae Germanorum gentes. nondum tamen supra libertatem. ⁸ Protinus deinde ab Oceano Rugii, et Lemouii: omniumque harum gentium insigne, rotunda scuta, breues gladii, et erga reges obsequium.

XXXXIIII

Suionum ciuitates.

Suionum hinc ciuitates, ipso in Oceano, praeter viros armaque classibus

D 3

valent.

valent. ² Forma nauium eo differt, quod vtrunque prora paratam semper appulsui frontem agit. nec velis ministrant, nec remos in ordinem lateribus adiungunt. Solutum, vt in quibusdam fluminum, et mutabile, vt res poscit, hinc vel illinc remigium. ³ Est apud illos et opibus honos. eoque vnus imperitat, nullis iam exceptionibus, non precario iure parendi. ⁴ nec arma, vt apud ceteros Germanos, in promiscuo, sed clausa sub custode, et quidem seruo: quia subitos hostium incurfus prohibet Oceanus. Otiosae porro armatorum manus facile lasciunt. ⁵ Enimuero neque nobilem, neque ingenuum, ne liberrinum quidem, armis praeponere regia utilitas est.

XXXXV

Mare pigrum. Aesii succinum legunt. Sitones, quibus femina imperat.

Trans Suionas aliud mare, pigrum ac pro-

prope immotum, quo cingi cludique terrarum orbem hinc fides, quod extremus cadentis iam solis fulgor in ortus edurat, adeo clarus, ut sidera haberet. ² Sonum insuper se mergentis audiri, formasque Deorum, et radios capitis aspici, persuasio adiicit. Illuc usque (et fama vera) tantum natura. ³ Ergo iam dextro Sueuici maris litore Aesthyorum gentes alluuntur: quibus ritus habitusque Sueuorum, lingua Britannicae propior. ⁴ Matrem Deum venerantur. insigne superstitionis, formas aprorum gestant. Id pro armis omnique tutela: securum Deae cultorem etiam inter hostes praestat. ⁵ Rarus ferri, frequens fustium usus. Frumenta ceterosque fructus patientius, quam pro solita Germanorum inertia, laborant. ⁶ Sed et mare scrutantur, ac soli omnium succinum, quod ipsi *glesum* vocant, inter vada atque in ipso litore legunt. ⁷ Nec quae

quae natura, quaeue ratio gignat, ut
 barbaris, quaesitum compertumue. Diu
 quin etiam inter cetera eiectamenta
 maris iacebat, donec luxuria nostra
 dedit nomen. ipsis in nullo usu: rude
 legitur, informe perfertur, pretium-
 que mirantes accipiunt. ⁸ Succum ta-
 men arborum esse intelligas, quia ter-
 rena quaedam atque etiam volucra a-
 nimalia plerumque interlucent, quae
 implicita humore, mox durefcente
 materia cluduntur. ⁹ Fecundiora igitur
 nemora lucosque, sicut Orientis
 secretis, ubi thura balsamaque sudan-
 tur, ita Occidentis insulis terrisque in-
 esse crediderim; quae vicini solis ra-
 diis expressa atque liquentia in proxi-
 mum mare labuntur, ac vi tempesta-
 rum in aduersa litora exundant. ¹⁰ Si
 naturam succini admoto igne tentes,
 in modum tedae accenditur, alitque
 flammam pinguem et olentem; mox ut
 in



in picem resinamue lentescit. " Suo-
nibus *Sitonum* gentes continuantur.
Cetera similes, vno differunt, quod
femina dominatur: in tantum non mo-
do a libertate, sed etiam a seruitute de-
generant. Hic Sueviae finis.

XXXXVI

*Peucini. Venedi. Fenni. Eorum feritas et
paupertas. Hominum monstra,
Hellufi, Oxiones.*

Peucinorum, Venedorumque, et Fennorum nationes Germanis an Sarmatis adscribam, dubito: quanquam Peucini, quos quidam *Bastarnas* vocant, sermone, cultu, sede, ac domiciliis, vt Germani agunt. Sordes omnium, ac torpor. Procerum connubiis mixtis, nonnihil in Sarmatarum habitum foedantur. Venedi multum ex moribus traxerunt. ² Nam quicquid inter Peucinos Fennosque siluarum ac montium

E

eri-

erigitur, latrociniiis pererrant. ³ Hi tamen inter Germanos potius referuntur, quia et domos fingunt, et scuta gestant, et pedum usu ac pernecitate gaudent, quae omnia diuersa Sarmatis sunt, in plastro equoque uiuentibus. ⁴ Fennis mira feritas, foeda paupertas: non arma, non equi, non penates: victui herba, vestitui pelles, cubile humus. ⁵ sola in sagittis spes, quas inopia ferri ossibus asperant. Idemque venatus viros pariter ac feminas alit. Passim enim comitantur, partemque praedae petunt. ⁶ Nec aliud infantibus ferarum imbriumque suffugium, quam ut in aliquo ramorum nexu contegantur. ⁷ Huc redeunt iuuenes: hoc senum receptaculum. Sed beatius arbitrantur quam ingemere agris, illaborare domibus, suas alienasque fortunas spe metuque versare. ⁸ Securi aduersus homines, securi aduersus Deos, rem difficillimam assequuti

quiti sunt, vt illis ne voto quidem o-
 pus esset. ° Cetera iam fabulosa, *Hellu-*
sios et *Oxionas* ora hominum vultus-
 que, corpora atque artus ferarum ge-
 rere. quod ego vt incompertum, in
 medium relinquam.

...
 ...
 ...
 ...
 ...
 ...
 ...
 ...
 ...
 ...





50B $\frac{11}{12}$ 10
1


ULB Halle
006 526 608


3



VD 18







Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

C. CORNELII TACITI
DE
SITV MORIBVS
ET POPVLIS
GERMANIAE

LIBELLVS

Ex recensione

IOH. AVGVSTI ERNESTI

IN VSVM PRAELECTIONVM

PRIVATARVM ITERATA

A

IOH. BENED. CARPZOV

Quarta in Secunda edit. J. May, Leipzig 1791

HELMSTADII

EX OFFICINA SCHNORRIANA

MDCCLXXXIII

May B.